



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

22. 23. Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum; vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

de multitudine. deniq; & loca Scripturæ sum-
 ptis enumerata. Calvinianæ igitur senten-
 tiæ impietas maxima vel ex his paucis æquo
 animo lectori manifesta fit. Nūc quæ in Apo-
 stolo sequuntur, videamus.

Quod si Deus volens ostendere iram, & notam
 facere potentiam suam, sustinuit in multa
 patientia vasa ira aptata in interitum; ut
 ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa miseri-
 cordiæ, quæ preparauit in gloriam.

Si hæc sententia altera Apostoli respon-
 sio (vt ipsemet agnoscit Calvinus) ad
 illam obiectionem, *Quid adhuc cōqueritur?* &c.
 hactenus obiurgando retundit. Nam
 quæ ad Dei æquitatem asserenda factura erant, (ait
 Calvinus ad verba præcedentia, quibus in-
 terrogantem obiurgat Apostolus) & ad ma-
 gnam illi suppetebant, in initio producere noluit, quia
 respondendi non poterant. In summa, non quod dici
 poterat, sed quod ruditati nostræ expediebat, attulit
 veritas. Nunc autem in his verbis, secunda
 responsio est (ait hîc Calvinus) quæ breuiter de-
 monstrat, etiamsi incomprehensibile sit ex hac parte
 dei consilium, elucere tamen inculpatam eius æqui-
 tatem non minus in reproborum interitu quàm salute
 electorum. Addit deinde Calvinus, non ira reddi
 de diuina electionis rationem, vt causam assignet
 reprobis, cur hic eligatur, ille reprobetur. Hoc
 cum Caluino agnoscimus, sicuti suprâ rem
 proposuimus. Actamen diuinæ electionis ra-
 tionem

tionem in his verbis ita reddi, ut ipsius ab-
solutè sumptæ (non comparatiuè) causa ali-
gnetur, & æquitas demonstratur, non ab-
hoc loco Calvinus; ait enim: *Ostendit Aposto-
lus, quatenus se profert Dei prædestinatio, in ea
ram iustitiam apparere.* Et ita quidem se res
habet, ut ipsa verborum explicatio doceat,
sed ita Calvinus verba Apostoli inuertit, ut
hæc mera Dei iustitia circa reprobos nulli
modo appareat. Ac primùm in verbis ipsius
est quædam reticentia, & subaudiendum est,
Quis propterea insimulare iniustitiæ Deum
queat? Tota enim interrogatio vim argu-
mationis habet. Ait igitur Apostolus, con-
tra Deum conquerendi, aut Deum iniustitiam
accusandi, nullam causam esse, si ad ostensio-
nem *ira ac potentie sue*, quæ in iustè damnatis lucu-
lenter apparet, *sustinuit in multa patientia*.
est, non statim exarsit in peccatores, ut de-
tam illis pœnam infligeret, sed patienter, imo
& in multa patientia, eorum nequitiam tolera-
uit, & impunitam tantisper reliquit, eorum
terim ad pœnitentiam multis naturæ & gra-
tiæ beneficijs inuitans, ut videlicet tam
tamque longanimiter (quod vox Apostoli
hoc loco *εὐμαχρὸς* denotat) eos tolerans
eò iustius & maiori iustitiæ suæ euidentiâ
æternum puniret, nimirum tanquam
ira aptata in interitum, id est, tanquam instru-
menta iræ & ultionis diuinæ capacia, quæ
ipsum aptauerunt in interitum, Dei longani-

Reprobi
propter
seipsum
nullam cõ-
tra Deum
iustam
querimo-
niam cau-
sam ha-
bent.

itate & patientia abutendo. Ex illis enim
 sunt, quos benignitas quidem Dei ad poeniten-
 tiam adducit, ipsi vero secundum impenitens cor
 thesaurizant sibi iram in die ire, & vasa
 irae divinae plena. Talis ipse Pharaon erat,
 ab Apostolo in exemplum adductus, quem
 Deus praevidens tyrannum fore, & multis pla-
 gis affectum resipiscere nolle, tamen nec in
 prima aetate sustulit, sed ad regni dignitatem
 exivit; nec post primam quam exercuit ty-
 rannidem, antequam Moyses in Aegyptum
 mitteretur; aut post primam eius repulsam
 Moysi datam, primamque acceptam plagam,
 iram suam in eum vindictam exercuit; sed
 videns eum in multa patientia, multis admiranda
 signis cor eius emollire volens (omnes
 enim plagae illi inflictae misericordiae divinae Dei va-
 rianae erant (ait S. August.) contra quam suo libero
 arbitrio pugnauit) tandem ut qui emolliti nol-
 lerat, sed semper induraret cor suum (nam qua-
 si cessante plaga, videns quod data esset re-
 penti, ingratauit cor suum, & non audiuit Moysen, &
 non sicut praeceperat Dominus) alloquitur eum
 Dominus per Moysen, tanquam vas irae ap-
 paratum in interitum: Nunc extendens manum
 meam super te & populum tuum, & peribis de
 terra. Idcirco autem posui te, id est, huc usque
 pertraui te (nam & hoc significat vox Hebraea
 apud Moysen, וְיִצְרָאֵל) ut ostendam in te iri-
 scentiam meam, & narretur nomen meum in omni
 terra, id est, Idcirco tanta patientia usus fui
 erga

Rom. 2.

De praedest. & grat.

Exod. 8. 15

Exod. 9. v. 15. & 16

O o erga

ergate, vt præter iustitiæ meæ rationem, quæ
sola singulare aliquod de te supplicium efflagi-
tat, etiam gloriæ meæ subseruias; & ira meæ
iusta quanta peccatores maneat, tuo exem-
plo doceam; meamque præterea potentiam
in puniendis impijs, & rebellibus affectibus
castigandis, toti orbi demonstrarem; in te, in-
quam, tuoque exemplo, qui tanquam vas
iræ plenum totus in interitum apratus & co-
agmētatus es. Sic enim hoc loco illud Pauli,
κατηρτισμένη εἰς ἀπωλείαν, Aprata in interitum,
vertit Beza, *Coagmētata ad interitum*. Atque
hic quidem reprobationis impiorum finis
est, in quo iustitia Dei maximè relucet. &
hoc quidem modo, quo ad illos, Dei iusti-
tatem defendit Paulus. Non enim habent
quod de Dei iustitia cōquerantur impij, qui
tanta Dei benignitate abusi, thesaurizauerunt
sibi iram in die iræ.

Reprobi
propter
electionē
iustorum
conqueri
non pos-
sunt.

Ad electionem iustorum quod actum
subiungit Paulus, ideo contra Deum con-
queri impios non posse, quia in huiusmodi
Deus ostendere voluit diuitias misericordiæ suæ,
tanquam in vasa misericordiæ, quæ Deus prepara-
uit in gloriam. In hoc quippe diuinæ miseri-
cordiæ immensitas apparet, quod ex eadem
peccatorū massa quum alios iustè reprobat,
non sine aliqua quoque exhibita misericordiā
quæ eos in multa patientia sustinuit, alios
specialibus & pluribus gratiæ auxilijs profes-
quatur, sic preparans eos in gloriam, tanquam
vas

la misericordiae suae, id est, quibus largiter
 copiose gratiarum suarum dona misericor-
 diam impertitur. Nam & ex ipsa reprobo-
 rum tam acri animadversione, divinae mise-
 ricordiae divinitus illustriores fiunt. Hic est
 apostolicae responsionis sensus germanus ac
 proprius.

Nunc Calvinus, quum, *sustinere Deum in pa-* Dei iust-
nitia multa vasa irae, eodem modo exponat quo ritia à Pau-
lo politam
 exposuimus, misericordiam quoque erga Calvini
 reprobos ex iusto reproborum interitu luculenter
 demonstrari affirmet; sic tamen totam expo-
 sitionem concludit, ut totam Dei iustitiam
 abvertat, & Apostolicæ disputationis in-
 tentum penitus inane reddat: ait enim: *Et si*
in hoc secundo membro expressius asserit, Deum esse
qui electos suos prae parat in gloria; quum prius sim-
pliciter dixisset, reprobos vasa esse preparata in exi-
tium: dubium tamen non est, quin utraque prae pa-
ratione ab arcano Dei consilio pendeat. Alioquin dixisset
Paulus, reprobos se dedere vel proijcere in exi-
tium. Nunc vero significat, antequam nascantur, iam
se fore addictos esse. Vult iterum homo im-
pius utramque preparationem, tam ad in-
fernum quam ad gloriam, ab arcano Dei
consilio pendere. Non patitur Apostolum
dicere, reprobos omnes sibi ipsis exitum crea-
re. Contradicere vult Prophetæ dicenti,
Salvatio tua ex te, salvatio tua tantummodo ex me, Os. 13
Israel. Hanc distinctionem tam claram, tam
luculentam, vult ab Apostolo hic negari, &

ram perditionem humanam quam salutem
 à Deo præparari, & ab eius arcano consilio
 pendere. *Alioquin* (inquit) *dixisset Paulus repro-*
bos se dedere in exitium. At verò aliæ Scripturæ
 apertissimè hoc dicunt, & Paulus hic non
 negat. Imò Paulus præparationem gloriæ
 Deo tribuit, præparationem in interitum
 Deo non tribuit. Cur illam distinctionem
 Apostoli non tenet Calvinus? *Vasa* quidem
 gloriæ Deum præparasse; sed *vasa iræ aptata* *post*
in interitum, eosq; cum multa patientia Deum *pre-*
parasse; non autem aliquo decreto ab æterno
 in interitum præparasse absque præiudice
 indurationis impiorum; qua vna, post mul-
 tam patientiam Dei, aptantur in interitum,
 id est, seipsos aptauerunt, obdurarunt, &
 confirmarunt, vt perirent. Nam vox illa,
καταρτίζειν, hoc totum significat, & alibi apud
 Apostolum, *confirmare & corroborare* denotat.
 1. Cor. 1. 10. Ephes. 4. ver. 12. Falsum igitur
 prorsus est, quod subiungit Calvinus, Apo-
 stolus hoc loco significare, *reprobos, antequam*
nascantur, suæ sorti addictos esse. Istud hoc loco
 Apostolus non dicit; sed contrà, *post multam*
Dei patientiam ad interitum aptari eos dicit. Su-
 perius quidem id dixit, sed non eo sensu quo
 vult Calvinus, vt iam latissimè ostensum est
 demonstratum à nobis est. Sicut enim non
 sine præuisa natiuitate, ita non sine præuisis
 peccatis, antequam nascantur, & antequam
 peccent, sorti suæ addicti sunt reprobi.

Theo-

Theodorus Beza impietati Calvinianæ
 describens, & eius interpretationem (quem
 in loco more suo doctissimum interpretem
 dicto nomine vocat) suis notis illustrare
 intendens, in eodem hæret luto. Verbum
 illud Apostoli, *vasa iræ aprata in interitum*, vult
 ad Deum referre, vt non à seipsis sed à
 Deo sic aprata, seu (vt ille vertit) coagmen-
 ta fuerint. Et quum Dei actionem esse ve-
 ra non secus coagmentare reprobos in in-
 teritum, quàm præparare electos in gloriã, vult
 Paulum in Dei actione circa reprobos verbo
 magis vehementi & violento vsus fuisse,
 quàm circa electos. Nã de electis apertè dicit
 Paulus, *Quos Deus præparauit in gloriã: προελτοι-
 χασεν*: quod verbũ mollius est, & de ipsa præ-
 paratione gratiæ, per quam ad gloriã electi
 præparantur, apertè intelligitur, quæ libe-
 rum hominis cooperationem non excludit.
 Nam, iuxta Scripturas, *hominis quoque est*
preparare cor suum, & facere sibi cor nouum, con-
uertere se ad Dominum, &c. Iam circa reprobos
 cum Paulus verbo vsus sit tum in forma pas-
 siua, vt non sit necesse ad Deum referre;
 tum in sua significatione magis actiuo & vio-
 lento; vult omnino Beza, hoc quoque ver-
 bum ad Dei actionem à Paulo referri. *Videtur*
(inquit) Paulus verbo καλνρισμẽνα vti maluisse
quàm προελτοιμασμẽνα, vt in similitudine figuli per-
foraret. Dicitur enim de ijs qui καλα σκευες η
quid operis faciunt, vt ex partibus totum quippiam

Beza pri-
 mam pec-
 cati cau-
 sam in
 Deo po-
 nit.

Prou. 14.
 16.
 Ezech. 18.
 31.
 Ierẽ. 4. 2.



componatur. Hoc est eius futile argumentum. Verum sanè est quòd *καταρτίζειν* aliquid ex partibus componere significat, sed non ex quibuslibet partibus quodlibet còpositum. Significat quippe vox illa resarcire & resarcere, vt Matth. 4. & Marc. 1. *καταρτίζοντες τὰ δίχτυα αὐτῶν*, resarcientes retia sua. An non videretur ridiculus ille apud Latinos esset, qui verbum resarciendi ad metaphorà artis figulinæ transferret, eo quòd significet aliquid operis, *κατασκευάζειν*, per modum compositionis factum?

Beza graeculus ridiculus.

Non minùs ridiculus Beza, qui verbum *καταρτίζειν* à Paulo vsurpatum putat, vt in similitudine figuli perseueret. Eo sanè vitio Paulus, vt impiorum hominum duritiæ ac pertinaciam, *καταρτισιδρύω* exprimeret, qui post multà Dei pacièntiam qua eos sustinuit, *καταρτίζονται εἰς ἀπίθειαν*, vel aptantur & apparantur, vt noster veritè interpres; vel, vt Beza veritè, coagmentatur & plane creatur, sicut in epist. ad Hebræos hæc vox vsur-

Hebr. 4. & 11.

patur, *Corpus aptasti mihi*, *σῶμα καταρτίσθη μοι* & iterum, *Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei*, *καταρτισθῆναι τὰς αἰωνάς*: vel vt ab ipso

1. Cor. 1. 10. Ephes. 4.

Paulo aliàs vsurpatum suprà ostēdimus, *corroborantur & confirmantur*. Iam si hæc Deo actio est, plus agit Deus ad interitum reproborum quàm ad gloriam electorum. Nam hos præparat tantum ad gloriam; illos coagmentat, fabricat, componit, confirmat, corroborat ad interitum. Hoc enim totum

Pauli κατηρησμένα in Scripturis, at-
 que apud Paulum ipsum, significat. Qua-
 re huius verbi vim magis premeret Beza,
 ubi subiungit: *Ac mihi quidem non aliter loqui vi-*
detur, qui vasa iræ dicunt κατηρησμένα à seipsis,
nam si quis vas aliquod diceret non à figulo sed à se-
ipso figi. Quid ergo? Deus fingit & fabricat
reprobos ad interitum, sicut figulus lutum
componit ad vasa contumeliæ fingenda.
 Omnino, ait Beza. *Est enim (inquit) hoc*
verbum ad creationem ipsam referendum. Sed sta-
tim refutatur hoc commentum: loquitur
enim Paulus de illis vasis iræ ad interitum
aptatis, quæ iam sustinuerat Deus in multa pa-
nitia. Præcesserunt ergo hanc κατηρησμένα &
reprobationem peccata reproborum quæ
Deus sustinuit, multo magis ipsa creatio.
 Sed probare vult Beza quod dixit. *Nam hoc nō*
est (inquit) nulla causa erat cur ad Deū ipsum
Paulus assurgeret. Atqui in his verbis, Vasa iræ
aptata in interitū, Paulus ad Deū non assurgit,
sed actionē aliquam Dei describit, sed pas-
sivè & indefinitè loquēs, verba sua iuxta sub-
stantiæ materiā intelligenda relinquit. Denique
hæc Bezae probatio est ipsa principij petitio.
 Nam cōtra eos qui affirmāt vasa iræ à seip-
 sis, non à Deo, aptari in interitum, probatu-
 rus Beza à Deo hoc fieri, non ab ipsis repro-
 bis, vult probare à Deo hoc fieri, quia de Deo
 ista verba loquuntur: quod est dicere; Probo
 à Deo fieri, quia à Deo fit. Nam de Deo hæc

Beza prin-
 cipium
 petit.

verba dici, aut Paulū in his verbis ad Deum assurgere, affirmat tantum Beza, non probat. Hac illi arte & impudentia sanctis Scripturis illudunt.

Sed quid? Deus ergo reprobos ad integritatem fabricat, & coagmentat, & corroborat, non ipsi seipsos? Sanē idem dicens Beza quod Calvinus, suam tamen impietatem execranda emollire conatur, quod non fecit Calvinus.

Beza impietatem suam inaniter fucet.

Quamvis (inquit) exitij veras causas nunquā negem in ipsis vasis hærere: iuxta illud, Peccatum tuum ex te est. Sed Apostolum constat non de salute & exitio, sed de Dei decreto differere.

Quò magis Beza magistri sui impietatem fucare studet, eò magis illam manifestat. Si enim veræ exitij causæ in ipsis reprobis hærent, ergo verissimum & indubitatum est, quòd illi seipsos aptauerint in interitum, unde sequitur, sensum nostrum ex ipsa aduersarij confessione esse verissimum. An alterum vterque sensus verus esse possit, hoc illis probandum superest: sed in æternum probare nõ poterunt. Quod postremò subiungit Beza, Paulam hic non de salute & exitio, sed de Dei decreto differere, omnem impudentiam superat. Preparari in gloriam vasa misericordie, & aptari in interitum vasa ire, ad illorum salutem, horum exitium pertinere, quis tam cæcus vt non videat, aut tam impudens vt neget, nisi alter Beza, & perfrictæ frontis bestia? Deinde, in hac sententia, & secunda

Apostol-

soli responsione, non de ipso Dei de-
 creto, vt in superioribus, sed de fine seu cau-
 finali decreti diuini Paulum agere, tum
 Caluinus tū ipsemet Beza interpretati sunt.
 Caluini verba suprā accepimus; Beza sic
 dicit: *Est in his verbis altera responsio, quæ à
 Beza sonatur; & est maximi momenti, quum satis
 aperte actiones ex fine imprimis esse estimandas. Di-
 citur ergo, neque exitium reprobatorum neque salutem
 futuram esse vltimum finem illius propositi, sed
 vltimum longe præstantius, ipsius Dei gloriam vi-
 dere, qui suam tum potentiã tum misericordiam
 aperit faceret.* Hæc ille. Quod ergo negauit
 Beza, hoc verum est; quod affirmauit, hoc
 falsum est. Negauit de salute & exitio Pau-
 lum hic agere; quod verum esse ex ipsis ver-
 bis ostendimus: affirmauit de Dei decreto
 in his verbis Paulum differere; quum non
 de ipso decreto, sed de eius fine Paulum dif-
 ferere ipsemet Beza profiteatur. Non ergo
 (vt Beza vult) *vasa iræ aptata in interitum*, Dei
 creatione, qua condidit ipse & coagmenta-
 uit impios ad interitum, significare possunt
 (quod est per se ipsum dictum horrendum) sed
 hoc nunquam significant, vasa iræ semetip-
 sos aperire, coagmentare, obdurare ad interitum,
 postquam in multa patientia Deus eos
 sustinuisse. Ita ad execrabiles blasphemias
 suas (Deum ab æterno multò maximam ho-
 minum partem absque vlla præuisione pec-
 catorum, quæ decreti diuini causæ sint, sed

ex sola sua voluntate, tanquam vnica talis decreti causa, ad interitum & damnationem æternam decreuisse, & in tempore creæe atque formare) ex hac Apostoli disputatione comprobandas & asserendas, frustra & inaniter, impiè & impudenter, falsò ac fallaciter contendit Calvinus, & post eum Beza.

30. *Quid ergo dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem quæ ex fide est.*
 31. *Israel vero, sectando legem iustitiam, in legem iustitiam non peruenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis.*

Quæstio-
nem ini-
tio capituli
propositam
soluere in-
cipit.

Totius
capituli
breuis re-
capitula-
tio.

Concludit hinc Apostolus præcedentem disputationem, & quæstionem soluit (aut certè soluere incipit) quam sibi proposuerat, circa reiectionem & incredulitatem Iudæorum, an propterea Dei verbum exciderit, ac promissiones à Deo Iudæis factæ inanes & irritæ fuerint. Quam enim hætenus docuerit, promissiones istas non carnali semini Abraham, sed spiritali semini, sectantibus vestigia fidei Abraham, factas esse; ideòque Dei vocationem & electionem non ex carnali propagatione aut ex Iudæorum iudicio fieri (qui similiter natos, similiter à Deo vocandos, similiter prærogatiua donandos carnaliter existimant).